

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Stulticia g  
cum fonte primo

Stulto nulla re opus est. Nulla enim re uti  
scit sed omnibus eget.

Ait sapientem nulla re egere, et tamen  
multis illi rebus opus esse: ‘contra  
stulto nulla re opus est (nulla enim re uti  
scit) sed omnibus eget’  
(*Chrysipp. frg. mor. 674 ab Arnim.*).

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium  
epistulae morales*, 9, 14 (L. Reynolds  
ed., vol.1, p.20, ll.6-8).

Omnis stulticia laborat fastidio sui.

Non est autem quod verearis ne ad  
indignum res tanta perveniat: nisi  
sapienti sua non placent;  
omnis stultitia laborat fastidio sui.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium  
epistulae morales*, 9, 22 (L. Reynolds  
ed., vol.1, p.22, ll.13-15).

Nemo est ex imprudentibus qui relinqui  
sibi debeat.

Nemo est ex imprudentibus qui relinqui  
sibi debeat;  
tunc mala consilia agitant, tunc aut aliis  
aut ipsis futura pericula struunt, tunc  
cupiditates improbas ordinant; tunc  
quidquid aut metu aut pudore celabat  
animus exponit, tunc audaciam acuit,  
libidinem inritat, iracundiam instigat.

Seneca X. epistola.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium  
epistulae morales*, 10, 2 (L. Reynolds  
ed., vol.1, p.23, ll.3-7).